



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,
Academicarum Contemplationum Lib. X**

Piccolomini, Francesco

[Basel], 1590

VD16 ZV 12463

An Plato de quinta coeli essentia debeat cum Arist. conciliari. Cap. 4.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12918

colame: His postremò accedit voluntas opificis; quæ, nexus est cæteris firmior, & insolubilior, vt inquit Plato in Timæo.

An Plato de quinta Cæli essentia debeat cum Aristotele conciliari.

CAP. IIII.



Væritur iure merito, num Aristot. cum Plat. de quinta cæli essentia conciliari debeat. Simplicius in primo cæli, necnò in secundo ait, eos in sola voce, minimè in sententia dissentire; nã inquit, etiam ex opinione Platonis, cælum esse quintam essentiam; quod confirmat: quia Plato quinque ponit animantium genera; terrena, aquea, aerea, ætherea, & ignea: pariter quinque ponit corpora prima: insuper in Epinomide asserit, quinque esse figuras primas, respondentes primis quinque corporibus; & propterea prima corpora esse quinque, non quatuor solùm: deum, quia in Timæo se declarans, quid denotet nomine ignis, dum inquit cælum esse igneum; ait se lucem denotare, non autem comburentem ignem; ideo asserit, oculorũ orbes esse participes eius ignis, qui non vrit quidem; sed illuminando suauiter, diem inuehit mundo. Non itaque Plato verè censuit in cælo ignem inueniri. Sed cùm hæc dicant Simplicius, & alij nonnulli, qui Simplicio adhærent; manifestè decipiuntur. Primò Simpl. aduersatur Aristoteli, cùm dicat

in primo cœli com. 6. necnon 20. cœlum esse animatum; & propterea esse mixtum, & moueri per id, quod dominatur in eo: nam si mouetur cœlum per id, quod dominatur; ergo in eo reperietur dominans, & id, cui dominatur, & consequenter oppositio partium componentium cœlum; quod maximè Arist. iudicat absurdum. Insuper; tunc motus eius non esset omnino simplex, vt nititur ostendere Aristoteles in primo cœli. Præterea, si cœlum ex eo, quia est animatum, deberet esse mixtum, vt asseritur in secundo de anima, referente eodem Simplicio: quia in secundo de anima, animatum dicitur verè mixtum, ac insuper instrumentarium; cœlum deberet esse verè mixtum, & instrumentarium; quæ quàm longè distent à sententia Aristotelis, vnicuique est conspicuum. Propterea dicamus, Aristotelem in secundo de anima solùm loqui de viuentibus mortalibus; & Simplicium perperam putare, ea quoque debere conuenire cœlo ex opinione Aristotelis, quæ mortalibus conueniant. Præterea Simplicius in suo concilio etiam aduersatur Platoni. Primò; quoniam, ex Platonis sententia, omnia simplicia corpora mouentur per naturam in orbem; vt in præcedentibus apparuit: ideo non est dicendum, quod cœlum moueatur in orbem, ratione dominantis solùm. Præterea manifestissimè Plato, vt in præcedentibus manifestauimus, eandem cœli, & mortalium iudicauit esse mate-

mate-

materiam: de qua inquit in Timæo; Generationis nutricem ignitam, & humefactam, terræ item, & aeris formas suscipientem, passionesque horum pedissequas perpetientem, omniformem aspectu videri, &c. Vult itaque Plato, primam materiam, omnium esse communem; & vnâ cum affectionibus recipere formas elementorum; nec alia prima corpora ponit, præter quatuor enumerata. Quod manifestè indicat per verba subsequenta, inquit; In operis huius exordio Deus ignem primò, terramque creauit: sed duo solùm absque tertio quodam commodè cohærere non possunt, mediumque aliquod vinculum utrorumque desiderant. & post pauca; Qua ex coniunctione ita constitutus est mundus, vt aspici, tangique possit: propterea ex huiusmodi rebus numero quatuor, mundi corpus conflatum est. & post pauca; Quatuor igitur, earum rerum quamlibet integram, mundus accepit: ex omni quippe igne, aere, aqua, terra, eius faber ita ipsum composuit; vt nullam cuiusquam istorum partem, aut vim extrâ relinqueret. Ex his manifestissimè patet, Platonem sola quatuor prima corpora in vniuerso posuisse: & essentiam quintam simplicem, genere distinctam ab aliis, nec excogitasse quidem. Non itaque rectè sentiunt Simplicius, Ioannes Picus, Diacetius, Maynettus, & alij: qui Arist. in solis verbis de re hac dissentire à Platone affirmant, in sententia autem conuenire;

sed longè rectiùs vtriusque opinionem explicarunt Plotinus, Porphyrius, Taurus, Philoponus in tertiadecima disputatione contra Proclum cap. 15. & alij; qui re vera eos dissentire existimarunt, nec putarunt posse conciliari. Ad fundamenta pro parte aduersa relata; non est difficile respondere. Ad primum; dum dicitur, Platonem quinque ponere animalium ordines, & quinque prima corpora; patet solutio ex ipsomet Platone in Timæo; vbi aerem in partem puriorem, quam nuncupat ætherem, & minùs puram distribuit: & in Epinomide id ipsum manifestat; nam quem Aristoteles incensionis fomitem sub cælo positum appellat, Plato nuncupat ætherem; & sic ponit quinque animalium ordines, quâuis prima corpora absolutè solùm dicat esse quatuor. Ad fundamentum sumptum ex primis quinque figuris, respondet Philoponus in disputat. 13. contra Proclum cap. 18. inquit, Platonem tribuere figuram illam quintam duodecim facierum; non quinto corpori, quintæue essentia; sed vniuerso ex omnibus conflato; vt patet ex ipsomet Plat. in Timæo, inquit enim: Est & quinta quædam compositio, qua Deus ad vniuersi compositionem est usus; eaque descripsit, & figurauit. Sic itaque Plato, & simplicib. quatuor corporibus, & vniuerso, propriam figuram tribuit. Nam mundi, & simplicium corporum duplex potest assignari figura: vna, quæ sit terminus magnitudinis eorû;

altera,

altera, quæ naturam, & propriam eorum conditionem, per analogiam, ac proprietatū convenientiam nobis patefaciat. Si de prima loquimur; cælum, & simplicia corpora omnia, sunt orbiculata, & rotunda; & iure quidem; nam hæc est figura prima, absolutissima, apprime simplex, & consimilium partium, apprime capax, aptissima corpori in orbem mobili; convenientissima animæ eius, quæ iuncta menti in orbem mouere nata est: quæ figura exquisitissima conuenit cælo ob puritatem, & præstantiam eius; minus purè conuenit aliis. Arist. quoque eiusdem est sententiæ; hæc tamen est differentia: quia Arist. elementa sub cælo posita, non ex se, sed à solo cælo figuram recipere existimauit: Plato verò cognoscens elementa esse animata, & per naturam suam esse nata moueri in orbem, vel in suo loco requiescere; etiam nouit elementa, nedum à cælo eam figuram recipere, & ex propria propensione in suum locum; verum etiam ex sui natura, vt sunt animata, mobiliaque in orbem. At si loquimur de figura, cuius conditiones respondent conditionibus corporis, cui tribuitur, easque patefaciunt; sic diuersorum corporum diuersæ figuræ sunt. Nam Terræ conuenit figura Cuba; proportionem respiciens conditioni terræ, ineptissima ad motum, aptissima ad quietem, & ad mutuam permutacionem cum cæteris minimè accommodata. Igni conuenit Pyramis; nedum, quia tenuis est,

T

acutus, ad perforandum maximè aptus; verùm insuper, quia est apprimè leuis, & mobilis: quæ omnia per Pyramidem aptissimè explicatur. Aquæ, & Aeri, quoniam in enumeratis conditionibus media sunt, iure figuræ mediæ conueniunt; Aquæ, Icosedra; hoc est viginti facierum; Aeri, Octedra, facierum octo. Vniuerso conuenit figura duodecim facierum; tum ob duodecim mundi sphæras; tum ob duodecim cœli signa; tum demum, quia hæc figura, ita in tercentum, & sexaginta triangulos scalenos resoluitur; vt cœlum in tercentum, & sexaginta gradus. Ex his patet, rationem ex quinque primis figuris depromptâ, minimè nobis aduersari. Et longè minùs aduersatur postrema, dum dicitur, quòd Plato manifestat, ex quali igne constet cœlum; & quòd non constat ex igne, qui flamma sit; sed ex luce, quatenus est corpus lucidissimum. Ad hoc dico, Platonem puriori, eminentiori que igni lucem tribuere; & propterea per lucem eius proprietatem, puriorem ignem circumscribit: immò cum dicat oculos nostros esse participes cœlestis ignis; verè indicat, cœlum non esse diuersæ naturæ à mortalibus; sed posse à mortalibus participari, & sola puritate ab eis differre.

De Cœli compositione. CAP. V.



Ristoteles statuens cœli materiam diuersam ab ea mortalium, nec videns in cœlo mutationem aliam vllam, præter motum in loco: censuit